



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLVI. Gregorii Papae I. Ad Felicem Episcopvm Pisavrensem. De  
Missis publicis, cathedra in ecclesia posita, in monasterio a Ioanne  
constructo non celebrandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLA XLV.

GREGORII PAPÆ I.

AD LEONTIVM EPISCOPVM ARIMINENSEM.

De ecclesia sancti Stephani dedicanda.

*Gregorius Leontio episcopo Ariminensi.*

**B**ASILICAM beati Stephani martyris, quam fraternitas vestra incendio asserit concrematam, quam etiam nuper instauratam esse commemorat, facultatem tribuimus dedicandi, in qua etiam reliquarum sanctuaria eiusdem beati Stephani martyris volumus collocari. Et ideo, frater carissime, ad predictam te ecclesiam ire necesse est, & tamen ecclesiae quam etiam altaris nouiter constructi dedicationem solenniter exhibere, ut expectantium de eadem consecratione deuotio Domino valeat auxiliante compleri. Quidquid præterea eidem loco a fundatoribus olim concessum est in ea qua dimissum est voluntate ac firmitate volumus permanere.

EPISTOLA XLVI.

GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM PISAVRENSEM.

De Missis publicis, cathedra in ecclesia posita, in monasterio a Ioanne construendo non celebrandis.

*Gregorius Felici episcopo Pisaurensi.*

**M**IRAMVR fraternitatem vestram, quod serie præcepti neglecta, quod ad vos sanctæ memoriarum decessor noster dederat, monasterium a Ioanne præsentium portatore constructū aliter quam antiquæ consuetudinis usus exigit consecrare. Dum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum sit, ut locum ipsum absque Missis publicis dedicares; ut ad nos peruenit, cathedra posita sacra illic publice Missarum solennia celebrantur. Quod si verum est, his vos hortamur affatibus, ut omni excusatione cessante cathedralm vestram exinde amoueri modis omnibus facatis, nec denuo illic Missas publicas peragatis. Sed & sicut consuetudo & præcepti tenor eloquitur, si Missas ibidem sibi celebrari voluerint, a te presbyter dirigatur. In eodem

*Concil. Tom. 13.*

Sff

autem monasterio congregationem seruorum Dei, sicut prædictus Ioannes petiit, & nunc esse, & cum Dei gratia semper volumus permanere. Calicem vero, quem sibi a fraternitate vestra ablatum innotuit, ei, si ita est, restitue-re festinate. Hæc ergo sanctitas vestra ita studeat adimple-re, vt denuo ad nos prædictus portitor pro hac causa ne-cessitatem remeandi non habeat.

## EPISTOLA XLVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LEONEM EPISCOPVM FANENSEM.

De schismaticis ad unitatem ecclesiæ redeuntibus.

*Gregorius Leoni episcopo Fanensi.*

**S**I C V T schismatici prauo studio perdurantes obiur-gandi detestandique sunt, sic ad finum matris ecclesiæ redeuntes consolandi, & nihil minus refouendi. Quia igitur Ioannes religiosus præsentium lator recepta ratio-ne ad unitatem sanctæ ecclesiæ ab errore Iftricorum Deo miserante conuersus est, eapropter fraternitatem vestram hortari præuidimus, vt eum salua ratione habe-re debeat in omnibus commendatum, atque suo fauore protegere. Cui etiam, ne possit post conuersionem alicui necessitatibus succumbere, aliquid de ecclesia illi præuidimus annis singulis consulendum. Quia ergo vestræ sanctitati se summopere petiit commendari, prouidendum vobis pro vestra mercede est, vt, sicut diximus, vestris in omnibus solatiis fulciatur.

## EPISTOLA XLVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IADERTINOS.

Hortatur ut a Maximi præuaricatoris communione absti-neant, & ab illis sacramenta percipient qui Maximo non communicarunt.

*Gregorius presbyteris, diaconibus, & clero, nobilibus, ac populo,  
Iaderæ consistentibus, & militibus qui Maximo  
præuaricatori communicauerant.*

**P**ERVENIT ad me quosdam vestrum, ignorantiæ vel ne-cessitate deceptos, his qui ab apostolica sede culpa,